

Rubr. XVIII. Nro. 25. f.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

24

EXAMEN QUIETISMI *SIVE* QUIETIS MYSTICÆ

Quod
Benedicente Supremo Numinе

P R A E S I D E
Dn. JOH. WOLFG. JÆGER, SS. Th. D.
Cancellario Eccles. Tubing. Præposito, Abbate
Adelberg. & General-Superintend.

Suscepere
M. JACOBUS BURCKHARDUS KNÖBEL, Böbl.
M. JOH. CHRISTOPHORUS SCHÜZ, Nürting.
S. S. Theol. Stud. & Sereniss. Stip.

Adiectum est
B. Dn. D. Speneri Judicium.

Ad diem Febr. MDCC XV.

TUBINGÆ,
Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

Nter Sectas, quæ in hoc seculo fuerunt, Caput etiam extulit *Quietismus*. Author ejus fuit *Michael Molinos*, Sacerdos ex Hispanis oriundus, Myſticorum præcipuus. Neque enim quisquam tam altos sensus habet, quam iste. Nec etiam quisquam tantas persecutiones ab Ecclesia Romana sustinuit, quam iste, licet libellus quem ediderat, multis approbationibus fuerit munitus. Approbavit enim eum Archi-Episcopus Regiensis *Martinez Ybannez, de villa nova*; ante Episcopus Cajetanus; qui fatetur in sua probatione, quod liber Molinosi opus sit utilissimum ad ædificationem fidelium.

Secundus, qui testimonium APPROBATIONIS pro dicto Molino-
so tulit, est *Franciscus Maria Generalis Franciscanorum*, qui ait, quod iste Myſticus Doctor Molinos summum apicem Contemplationis attigerit, adeoque quod non tantum dignus sit approbatione, sed etiam quod fru-
ctuosissimus sit iis, qui VITAM SPIRITUS ineunt vel calcant.

Tertius censor fuit *Martinus Esparsa* societatis Iesu Consultator in S. congregazione Qualificator in Sancta Roma, & Inquisitor Fidei Generalis vir doctissimus, cuius eruditionem & humanitatem etiam mihi Romæ experiri licuit A. 1677. qui confitetur, quod laude & luce sit dignissimus Molinosi liber, & quod Contemplatores ad summam perfe-
ctionem ducat.

Prætero Franciscum Gerezium prædicatorem apud Hispaniæ Re-
gem, Provincialem in Provincia Andalusia, & definitorem Generalem,
qui par judicium, irno majus fert &c.

His tamen & aliis testimoniis non obstantibus liber ille, dictus in
sua Lingua *Guida Spirituale*, postea censura notatus & tandem damna-
tus fuit, ab Innocentio XI. Pontifice licet invito.

Nos inpræsentiarum in Compendio exhibebimus omnia illa Ar-
cana myſtica, aut fastigium illud PERFECTIONIS, ut B. Lector exinde
eo facilius judicare queat, an recte à sede Romana damnatus fuerit Hi-
spanus ille Doctor. Faxit Ter Opt. Max. ut nil nisi vera & Sancta lo-
quamur Spiremus ac judicemus,

INcipimus ergo à primo Libro Ducis illius spiritualis, in cuius fronte statim pulchra, pia & talia comparent, quæ sine scelere & impietate rejici aut damnari non possunt. Et primo quidem dicit, ut in hominis Animâ, quæ sit Centrum, domicilium ac regnum DEI, resideat supremus iste Rex, necessum est, ut purificetur ab omni peccato, & sorditie.

Secundo ; ut Anima non turbetur per tentationes , qualescunque inimicus ille gravissimus Diabolus per se vel per Creaturas velit excitare ; sed ut quieta sit , & tranquilla , cum sciat, quod in se habeat Propugnaculum & Castellum fortissimum nempe DEUM , sub cuius defensione tuta sit.

Tertio, ut Anima in se semper maneat recollecta ac per Orationem in se redeat, quotiescumque ab extra sollicitetur.

Quarto, Orationem esse optimam armaturam, ad repellendum inimicum *Infernalem*.

Quinto, in tempestate gravissima afflictionum Animam , veluti Noam in arca semper securam & tranquillam esse debere quasi summa esset serenitas.

Hæc sane , si, ut jacent, spectentur , magnam videntur spirare PIETATEM ; Verum binas addit lineas , ex quibus statim translucet , quid sub illis coloribus latitet. Dicit enim, quod Anima talis debet esse vacua ab omnibus affectibus , abstracta ab omnibus cogitationibus , exuta à desideriis, libera ab omni timore &c. In summa Mystica talis Anima debet esse sine ullo MOTU , & ACTIONE, quæ Inactio , seu cessatio ac suspensio ab omni actione potissimum est Mysterium , & fundus Theologiæ hujus, de qua quid sit sentiendum , in sequentibus dicetur.

In secundo Capite Molinos tradit , quod in *Oratione seu precibus ad DEUM*, plane non opus sit ullo discursu vel sermocinatione ; sed quod illa anima felicissima sit, quæ omni tali discursu est privata : Nam hoc clarum argumentum esse afferit , quod DEUS Animam talem in ARIDITATE constitutam velit per viam *interiorem* & per SILENTIUM sacrum ad divinam suam presentiam ducere.

Et hanc Orationem esse facilem , atque omnium securissimam, quia libera sit ab omni Operatione & facultatis Imaginatione , quæ sub.

subjecta alias sit non saltem præstigijs & illusionibus satanæ , sed etiam motibus humoris Melancholici.

Producit in hanc rem exemplum Mosis , cum quo postquam DEUS loqueretur , & præciperet , ut in Montem Sinai ascenderet , tum subito Montem fuisse tenebris densisque nubibus involutum ; atque in illis Mosen per septem dies otiosum , atque in summo silentio manisse . Post hos autem septem dies dērum Mosen per Montem ascen- disse ; atque ipsum omni consolatione impletum fuisse .

Atque hoc plane modo Animam per ariditatem , tenebras , & per silentium ad DEUM immediate accedere debere : omnia ratiocinia humana , discursus omnes sive imaginationes aditum talem prohibere , & ORATIONEM ipsam fecundare .

Hæc sententia iterum videtur speciem habere ; sed totum vitium latitat in eo , quod Molinos ORATIONEM pure passivam per hanc methodum introducere sategit . Quæ sane ORATIO ad Deum non pertinet , neq; ipsi placet . Nam vera , devota , & Deo grata ORATIO seu PRE-CATIO est ea , quæ per suspiria , per gemitus , per vocem cordis & oris per-agitur . Nec orans ibi *passive* se habet , sed cum toto animi impendio ge-mitus & verba fundit , prout constat ex exemplis omnium Sanctorum in V. & N. Testamento , Davidis in primis , qui e profundis clamavit ad Deum , adeo non per silentium vel otium oravit , sed clamans , & Salvator ipse no-ster in Ara Crucis Exemplum *Orationis* Sanctissimum proponere vo-lens , exclamavit ; *Pater in manus Tuas , commendo Spiritum meum .*

Secundo in eo mire decipitur Molinos , quod purat ORATIO-NEM talem esse facilem ac securam , quod libera sit ab Operatione Imaginationis . Nihil enim difficilius est , quam Phantasie & Imagi-nationi nostræ SILENTIUM imperare , ut nihil agant , nec se se mo-veant ; Par difficultas est in Intellectu , licet enim non simus in ea sen-tentia , quæ statuit , quod Anima nostra sit Essentialiter cogitans , ut voluit Malebranche , & ante ipsum Cartesius , tamen id certum est , quod Intellectus noster vigilante Anima rarissime sit in otio ac Quietè ; quod quilibet in seipso experiri potest .

Adhac cum talis ORATIO PASSIVA sit juxta *Mysticos Spiritualissima* , quis nūl in sana Theologia Hospes ignorat , *Spiritualia*

A 3 talia

talia non esse in nostra potestate , sed à Spiritu S. provenire , qui est Spiritus flans , ubi & quando vult , teste Christo .

In tertio Capite *Molinos* uberius explicat , quomodo homo per mediationem , & *Orationem activam* non possit pervenire ad perfectionem ; contra vero possit per istam ligaturam omnium Animæ potentiarum , & per *Orationem Passivam* . Nam , inquit , si pulli Corvorum à parentibus suis derelinquantur , quia ipsos vident à se degenerare , dum plumas non habent in primis diebus nigras . Si , inquit , isti pulli ita respiciuntur à DEO , ut ipse iis præbeat alimentum , quanto magis DEUS Animas respiciet , licet non agant , vel discurrant vel necessitates suas verbaliter exponant ; dummodo ora sua aperiant Cœlum versus : Novit enim jam DEUS in iis habitans earum *necessitates* .

Verum enim vero licet hæc ratio Molinosi satis probet providum DEI oculum erga Creaturas suas , dum etiam pullis corvorum derelictis prospicit ; licet etiam invicte exinde probetur , quod DEUS maiorem curam Animarum pretioso sanguine Filii sui redemptarum , quam aliarum rerum habeat ; tamen exinde male omnino infertur , quod Anima fidelis nec mentaliter nec verbaliter hoc est *active* debeat orare , & implorare auxilium DEI , sed quod *Passive* & in Quietè saltem se tenere debeat . Contrarium evidenter ostendimus in exemplo Davidis Salvatoris & omnium fidelium .

Illud vero in eodem Capite nimis durum est , cum dicit Molinos , quod qui ad perfectionem contendat in *Oratione Passiva* , nihil debeat cogitare , ne quidem de DEO , aut SS Trinitate , vel etiam Essentia divina , multo minus de rebus Creatis , nam inquit , omnes istæ Species atque imagines licet Dei-formes videantur , non tamen sunt DEUS ipse , qui nec species , nec Imago , nec Idea , vel forma aliqua est .

Hoc , inquam , crudum admodum videtur , ac propterea etiam inter Propositiones à Pontifice XI . damnatos reperitur : Ubi tamen id mirum nobis est , quod tales assertiones in Molinosiso damnatae fuerint , quæ tamen in aliis Doctoribus fuere cum veneratione admissæ ; nam Bonaventura dictus alias Doctor Seraphicus eadem tradit Th. Myst. p. 2. q. un. p. 685 . Et quid est CALIGO Dionyli Areopagitæ aliud quam id , quod dicit Molinos .

In

In Quarto Capite tradit Molinos , quod Anima non debeat esse afflita, si deprehendat, quod PRECES suæ sint aridae.

Nam, inquit, duo sunt Modi orandi; Primus modus est, cum Oratio est tenera, delitiosa, amoroſa, plena gustu & sensu. Alter est obscurus, aridus, desolatus, tentatus & tenebricosus. Primus modus pertinet ad Initiantes in vita Spirituali; secundus est pro proficientibus, & qui in via sunt ad PERFECTIONEM. Primum modum largitur DEUS ad lucrandas Animas; alterum ad eas purificandas: In primo modo tractat Deus fidelem ut Infantem & miserabilem; secundo ut fortē & virum.

Post modum addit. *Scias, quod DEUS utatur in Oratione ARIDITATE ut VELO*, ut neſciamus, quid DEUS Operetur in nobis, atque ita humiliamur. Nam si ſentiremus aut cognosceremus, quid DEUS efficiat in nobis, tum facile præsumtio animum nostrum intraret, quaſi aliquid Boni ipſi feciſſemus.

In his sunt bona Mixta malis. Nam quod quandoque ARIDITAS in precibus nostris sit, ipſi experimur. At quod præcise per eam ARIDITATEM purificetur Anima noſtra, id S. Codex non dicit; Per fidem enim dicit Apostolus, quod purificantur Corda noſtra. Adhæc PURITAS Animæ est qualitas spiritualis introducta in Animam noſtram à Spiritu S. Tertio, potius nobis orandum est, ut DEUS tollat à noſtris precibus eam ariditatem, & in nobis desideria accendat devota ad DEUM.

Unde nobis non placet obscura & tenebricosa Mysticorum Ora-
tio; Omnes tenebræ nobis ſuceptæ ſunt; DEUS essentialiter Lux
est, unde quo magis DEUS ſeu Lux habitat in cordibus noſtris, eo
magis tenebras depellit, ita ut in LUMINE ejus videamus LUMEN,
maxime in devotis precibus. vid. Ps. 27 v. 1.

In Capite V. declarat quod duplex ſit RATIO devotionis, primam
eſſe Essentialē; alteram accidentalem. Primam eſſe Inſensibilem,
eamque deſcribit, quod ſit promittudo quædam Animi, qua devotus
ſe ſubjiciat voluntati, etiam ſi Opere ipſo nil präſter, ſed expectet Ope-
rationem DEI. Vocat eam Inſensibilem, quia in illa nullus ſit g��us,
nulla dulcedo nec ſuavitatis; Imo hanc haberi poſſe inter Ariditatem
cordis & tenebras.

Acci-

Accidentalem vero consistere in gusto , in suavitate Cordis , in teneritudine lacrymarum , aut aliis sensibilibus affectibus . Hanc non esse quærendam , quia obstaculo sit PERFECTIONI ; & has suavitates aut *Gustus* preceptos consolationes esse NATURÆ , non GRATIÆ . Animam cum sit SPIRITUS , ex se nihil sentire , nec etiam ex se sensum Amoris habere .

Hæc sententia meretur condemnationem , quia revera tendit in Ruinam omnis Devotionis & Pietatis . Vera enim Devotio se exercet per actus fidei , spei & charitatis ; qui actus omnes percipiuntur ab Anima fideli Actu non directo tantum , sed & reflexo .

Deinde impossibile est , ut in vero & devoto Amore erga DEUM non sentiatur SUAVITAS quædam ; quæ SUAVITAS non est ex NATURA , sed ab ipsa Indole AMORIS Divini , ubi DEUS ipse per suavissimas distillationes Divinas se in amore gustandum præbet . Vid . Cant . 1 . v . 1 . 2 . & per totum .

In sexto capite distinguit Molinos inter tenebras felices & infelices , quæ distinctio haec tenus nullibi lecta fuit : Infelices vocat illas , quæ orientur ex peccato , & sic hominem perducant ad æternum præcipitum . Felices vero ab eo vocantur , quas DEUS permittit in anima , ut illa fundetur & stabiliatur in Virtute . Et hæc felices nominantur , quia illuminant , fortificant & majoris lucis radios in anima proferunt : Unde , inquit , non opus est , ut Te affligas , quasi in ipsis tenebris DEUM non habeas : Sed potius crede , quod Te DEUS ad Interiora & in Paradisum ducere velit ; Unde in illo Statu nil desiderare debes , nullam sensibilem devotionem , sed simpliciter Beneplacito divino Te submittere .

Mira est ista Theologia , quæ in Tenebris felicitatem quærit ; & quæ ad purgandam animam non *Lucem* Necessarias tenebras facit . Hanc viam non docet Spiritus S . in Scriptura S . Neque Salvator noster , qui Lux est omnem hominem illuminans , hac methodo uitur ad felicitatem æternam comparandam .

Neque unquam Veritas illa Personalis & Divina hoc est *Filius DEI* desideria ad Deum , aut sensum Devotionis rejicit . De beneplacito Divino res est certa , quod se homo illi submittere debeat , sed non in sensu Mysticō & per modum Indifferentiæ . De qua alibi prolixè agemus , multa legun-

leguntur, quæ Ecclesiæ Romanæ Principia evertunt, dicit enim, quod Homo ad PURIFICATIONEM animæ sua non possit pervenire per Mortificationes externas, quas alias pœnitentias appellant, quia quicquid homo per proprias suas operationes faciat, id ipsum non perdere ad perfectionem aut Virtutem. Itaque necessum esse, ut DEUS in nobis operetur, per ARIDITATES & Cruces internas.

Sicut enim Agricola non æstimet Fructus, qui sponte nascantur; sed eos potius, quos ipse seminet: Ita quoque DEUM in nobis nihil æstimare, quam quod ipse plantet. Quare præparandam esse animam nostram, ut sit veluti *charta*, ut loquitur, *Bianca*, sive *charta pura*, cui nihil inscriptum est, ubi sapientia Divina characteres ducere debeat.

Hæc, inquam, Praxin Ecclesiæ Romanæ evertunt, quæ plurimum exercitiis illis pœnitentialibus, & mortificationi tribuit: Et quidem si nude ita verba spectantur, nil maligni videntur spirare; Sed bene est advertendum, quod venenum in eo latiter, dum *ariditati*, quæ vitium est in anima, perfectionem adscribit. Item quod hypothesis foveat, de INACTIONE hominis, & denique quod DEUM faciat immediate & solum operante, ligatis omnibus potentias Humanis, qui error quoq; est Poireti.

Id ergo verum quidem est, quod DEUS nullam æstimet plantam, nisi quam ipse plantat: Sed ille plantat non immediate; verum Mediante verbo suo, quod SEMEN est divinum: Neque homo mere se in omnibus passivè habet, Quanquam enim id certum sit, in articulo de Conversione, tamen in pœnitentia & renovatione etiam operatur, licet non per vires *nativas*, sed *dativas*, hoc est collatas à Deo.

In octavo & nono Capite Molinos tractat de martyrio spirituali, quod sumnum est mysterium Mysticorum, & in quo in primis PERFECTIONEM suam querunt,

Dictum autem Martyrium Spirituale præsupponit STATUM PASSIVUM, de quo in antecedentibus dictum, ubi nempe homo adeo nihil operatur, ut se in solidum relinquat Operationi Divine, sine ullo proprio MOTU.

Posito itaque isto STATU PASSIVO, tum tradit Molinos, quod DEUS hominem talem in durissima experimenta deducat. Tum, inquit, experieris talia tormenta & dolores, qui in intimum animum

tuum penetrabunt : Omnes Te Creaturæ , quas alias faventes exper-tus es , à Te recedent , nec in angustiis tuis compassionem ostendent : omnes animæ tuæ potentia exarcent : Nullam bonam cogitationem ne de Deo quidem habebis . Cœlum ipsum instar ferri erit , ex quo nul-lum senties solaminis minimi influxum . Inimici Tui invisibiles Te perse-quentur , per suggestiones libidinosa , superbiam , furorem , maledicio-nem , quin & blasphemiam ipsius Dei , & sacramentorum ejus .

Per has tentationes , ait Molinos , purificat DEUS animam tuam , & expolit eam à ferragine superbie , avaricie , vanitatis , ambitionis , præsumptionis , & amoris proprii . Per eas ipsas tentationes , anima ad profundam SUI cognitionem devenit , & judicat , quod nihil pejus , nihil magis impium , nihil magis abominabile in terra sit , quam IPSA-MET . Unde se se humiliat , sibi vilescit , imo sibi ipsi est abominationi .

Non ergo timenda sunt illæ ipse tentationes , & ô exclamat Molino-s , quam felices essent animæ , si quiescerent in illis assaultibus , & cred-e-rent , quod omnes illæ tentationes sint causata à Diabolo , & receptæ a manu DEI , ad lucrandas anitias , atque in eorum sumnum Coñodum .

Tandem etiam remedium contra has tentationes in capite nono promit , ut videlicet con una posata dissimulatione , cum tranquilla aliqua dissimulatione contemnatur ; ideo quia Diabolus nihil magis affligat ceu spiritum quendam superbum quam ejus contemptus , & si planè non curetur nec affirmant , quicquid ille memorie turpitudinis vel abomina-tionis repre-sentet : Ac proinde , inquit Molinos age cum ipso , quasi ni-hil de ipso sentias vel scias ; adeoque vide ut animam tuam habeas in pace & tranquillitate ; non move Te , non discurre , non responde Dia-bolo : Nihil enim periculosius est , quam inquirere in rationes tentatio-nis ejusmodi ; ita enim multi misere fuere decepti .

Tandem ait , oportet ut scias , quod maxima tentatio sit , non ha-bere tentationes : ac proin exultare potes , præ gaudio , quando Te ten-tationes aggrediuntur , quibus occurtere & resistere debes , non agendo , sed PATIENDO ; in pace & silentio animi ac resignatione .

Hæc doctrina Molinosi licet sit speciosa , plane tamen adversa est Salvatoris nostri & Apostolorum Sanctissimæ doctrinæ ; eorum enim consilium est , ut omni activitate & virium nostrarum impedio resi-stamus

flamus, temptationibus non *carnis* tantum nostræ, sed maxime etiam Diaboli. Paulus Eph. 5. v. 11. Divinam quandam nobis Armaturam fuisse, quam nobis commendat, ceu necessariam, ut temptationibus Diaboli resistamus: Non suadet vir ecstasicus otium, Inactionem vel pacem, sed bellum & quidem summa vi & Contentione gerendum add.

I. Petr. 1.

Nec porro scriptura ullibi cogitationes fœdas, lascivas, sodomiticas & blasphemas, pro medio unquam ponit purgandi animas nostras, multo minus suadet, ut liberum ipsis campum in anima nostra relinquamus, ut sese diffundere pro libitu possint. Plane non, sed preces devotæ & ardentes, non PASSIVÆ, sed *activæ* commendantur Matth. 26. v. 41. Jac. 1. v. 2. Apoc. 3. v. 10.

In Capite undecimo tractat Molinos de *Raccoglimento Interiore*, quod in Lingua latina vix nomen habet, nec verti commode potest, quam RECOLLECTIO INTERNA. Mira phrasis, quæ miram quoque doctrinam in se continet: dicit enim, quod Anima in ista Recollectione SUI ex toto obliviscatur: In SILENTIO stet in *presentia DEI*, sese cum ipso AMOROSE uniat: DEUM intueatur in FIDE PURA sine forma; sine specie, sine Imagine, sine ulla distinctione Perfectionum; cum plenaria oblivione sui ipsius, & omnium quæ sunt in hac vita.

Hæc sane Theologia, nullibi in Principio totius Theologiae hoc est in Codice sacro legitur; Vbi potius contra dicitur, quod Anima DEUM cognoscens, atque se ipsis uniens, non recolligatur INTRA se, sed potius in DEVVM tendat per Fidem, prout in VERBO manifestatum: verbum speciem & Imaginem DEI præsentat, ut supra notavimus ex loco Classico I. Cor. 13. v. 12.

Nec etiam verum est, quod FIDES iithæc PVRA non attendat ad perfectiones Divinas, cum potius perfectiones Divinae FIDEM accendant, & quo penetrantior est eorum cognitio, eo FIDES sit PVRIOR. Ex. gr. FIDES nititur veritate Divina, adeo, ut sine illa ne quidem FIDES detur; porro nutritur a bonitate & benignitate Divina, confidit in Omnipotentia DEI, confirmatur per Misericordiam DEI.

Sic etiam unio cum DEO Amorosa non fasilitat amplexum divinarum perfectionum; quin potius tot sunt MOTIVA Amoris

atque adeo unionis Amorofæ in DEO, quot in eo sunt *perfectiones*, cum omnis *perfectio* suam habeat intrinsecam & divinam Amabilitatem. Videantur viri Divini & vere Mystici Davidis Psalmi , atque in primis 136. per totum.

Reliqua quæ habet Molinos in hoc capite tacta sunt alibi.

In Cap. 12. dicit Molinos; DEVS non amat illum præ alio, qui plura facit, aut plura sentit, aut majorem monstrat affectum. Sed qui plura patitur.

Provocat deinceps Molinos ad Venerabilem Matrem *Franciscam Lopeziam di Valentia*, quæ dicat, quod tres sint Rationes ponderosæ pro Recollectione Interna. Primam esse , quod plus juvet animam quadrans Horæ in Oratione cum Recollectione Interna, & cum Resignatione & abdicatione sensuum ac potentiarum omnium , quam quinque dies in Exercitiis pœnalisibus , disciplinis , jejuniis aliisque corporis afflictionibus ; quia per hæc exercitia non purificetur Anima, sed crucietur saltem Corpus.

Secundam esse. Quod plus placeat Majestati Divinæ Anima , quæ in quieta & devota persistat Oratione per unam Horam , quam longinqua peregrinationes ; quia in his saltem distrahitur Anima, sensus hinc inde divertant , corpus dibilitetur , aliaque occurrere pericula.

Tertiam esse , quod nihil Sanctius sit , quam in Oratione Cor semper habere directum ad DEVVM, id quod per Recollectionem Interiorem haberi possit, per eam enim procedere Animam potius in via perfectio- nis per AFFECTVM voluntatis, quam per fatigations Intellectus.

Nos in isto discursu Molinosii & fœminæ Lopezianæ laudamus, quod plus tribuatur Orationi devoutæ quam disciplinis illis rigidioribus Corporis, quæ in Papatu meritoria sunt.

Probamus etiam, quod Peregrinationibus Papæ Ecclesiæ nihil tribuat: plus enim superstitionis, quam vera Pietatis in illis esse peregrinationibus , dudum oculatores in Ecclesia Romana viderunt : Unde haud facile quis in Gallia, quæ præ cæteris Romanas superstitiones negligere videtur , viros Cordatos , aut Episcopos , vel alias Graves viros videbit , sed relinquentur ista rudi plebeculæ, quam nihil magis regit quam supersticio cæca.

Deni-

Denique etiam hoc non reprehendimus, quod ad veram Devotionem maxime Opus sit *repressione* sensuum, atque ut illis omne pabulum, quantum possibile est, subtrahatur.

Verum, hypothesis Molinosii est falsa, de qua jam s^epe diximus, nempe quod *Oratio* devota, mere debeat esse PASSIVA. Porro, quod pro hoc statu, in quo vivimus, talis sit possibilis *recollectio interior*, ut nullus sensus, nulla potentia Animæ nostræ, adeoque nec Intellexus operetur, sed omnia SILEANT, & QVIESCANT. Talem quietem & sensuum SILENTIUM, nemo unquam sanus & vigilans, per dimidium diem, imo nec per horam a se suaque Anima impetrare potuit.

Nec remedium Molinosii ullius est momenti, sed sibi ipsi repugnans, dum ut supra vidimus tradit. Non curandas esse operationes sensuum nostrorum, nec cogitationes, etiam si spuria sint: neque etiam contra eas militandum. Quale enim illud Silentium in Anima, qualisve QUIES si actus quinque sensuum, si imagines Phantasie, si cogitationes eam exagitent, ac liberum nec impeditum habent Exercitium suarum potentiarum. Illa est vera *Recollectio Interna*, quæ occludit omnes fores sensibus nostris, Phantasiam abducit a terrenis, & plantat Cœlestia; cogitationes reprimit mundanas, & exercet Divinas, quantum in viribus est.

In Cap. duodecimo, Eandem pene materiam tractat Molinos, nisi quod in primis pro se citet & laudet Matrem de Chantal discipulam S. Francisci de Sales, quæ ait, quod Deus ipsa aliquando communicari lucem, quæ se ita fortiter ipsi impresserit, ut DEVM ipsum in ea luce aperte videbit. Quod ipsum indicabit, quod non amplius respicere debeat semetipsam, sed quod oculis clausis jungere se amato; nihilque aliud respicere, ac nequidem gratiam aliquam a suo amato petere, sed seipsum amittere, stare in CENTRO NIHILI sui, & in solo DEO quiescere.

Hæc sunt quæ in Matre Chantal ceu in foemina illuminatissima ut vocatur laudat Molinos, & per quam suæ Doctrinæ, fidem, ut loquitur, conciliare studet.

Sed multo satius & tutius fecisset Molinos, si doctrinam suam ex testimonio Scripturæ S. & Exemplis Sanctorum in Vet. & N. Testamento firmasset, tum sane Fidem meruisse, verum affectatis, aut fi-

Ais visionibus mulierculæ alicujus credere, virum talem, qualis Molinos videri voluit, plane absolum est,

In decimo quarto capite, Molinos iterum dicit, quod declarare velit, quomodo Anima posita in præsentia DEI, cum perfecta resignatione per ACTUM PURÆ Fidei progrediatur semper in virtuali & acquisita CONTEMPLATIONE.

Hoc promittit frons Capitis; sed postea nihil aliud profert, quam quod necessum sit, ut Anima talis ab INITIO actu attendat ad Deum, & quod non habeat propositum se actu avertendi a DEO. Hoc sufficere ad continuationem in CONTEMPLATIONE.

Unde Contemplatorem Mysticum semper intelligi debere, quod perseveret in Pura Fide, ac Devotione Orationis, licet infinitæ cogitationes in ipsius mente vagentur. Evagationem enim mentis que fiat præter propositum, Orationis Fructus non tollere. Affert exemplum hominis, qui Missæ auscultat, qui plane satisfaciat officio suo, si habeat primitus hanc intentionem, quod velit attendere Missæ; licet postea distrahitur adeoque actualiter non habeat mentem DEO affixam. Hæc Molinos.

Ista doctrina plane sibi non constat; in præcedentibus enim multa de perfectione vita Contemplativa locutus erat, jam uno actu omnia resorbet.

Et primo quidem, quomodo potest PURA FIDES dici, quæ toties per impuras cogitationes foedatur: & qua Ratione titulum PERFECTÆ RESIGNATIONIS meretur actus PRIMÆ INTENTIONIS, cum hæc non perseverat, sed infinites per actus oppositos turbatur.

Quanto ergo satius est, cum nostra Evangelica Veritate fateri, quod FIDES nostra non habeat PURITATEM ob RESIGNATIONEM, quæ PERFECTA in hac vita non datur; sed propter PURITATEM quæ est ex Sanctissimo & Purissimo Sanguine & Merito Christi, quod FIDES Deo placens sibi applicat, & in eo QVIESCIT, infinites securus, quam in affectata Quietæ Molinistica, quæ fatente ipso ejus Authoræ, per mille vagationes & exorbitantias turbetur.

Unde secundo illa est perfectissima CONTEMPLATIO, cum homo suas inspicit imperfectiones, eas DEO confitetur deprecando; imple-

implorat ejus Auxilium, ut per Spiritum ejus S. cogitationes omnes, quæ precationem turbant, dissipet; Et qui subinde cum Paulo, medias inter preces, deprehendendo suas in iis imperfectiones exclamat: *Miser ego homo, quis me liberabit à Corpore hujus mortis;* à vanis illis cogitationibus, quæ a primo peccato, prima mortis causa veniunt:

Hinc tertio, illa est Perfecta Resignatio, quæ nihil sibi tribuit, sed se in solidum committit *Misericordia DEI* Patris, Amori & meritis immensis Filii, & Gratiae Spiritus S. non per ORATIONES PASSIVAS, quæ in fundo Quakeriana sunt, sed per activas, per suspiria, per Actus FIDEI, de qua quidem multa in speciem loquitur & tradit Molinos, sed cuius NATURAM, nec ipse, nec ejus socii intelligunt; cum intelligi non possit, nec gigni, nisi ex verbo DEI; Verbum autem Dei absconditus thesaurus est oculis Mysticis in Papatu. Unde mera est ibi fucata & affectata PIETAS.

In decimo Quinto Capite iterum docet, quod CONTEMPLATIO PERFECTA non impediatur, etiamsi mens ad alia Objecta digrediatur, & non versetur circa DEUM. Sufficit ipsis unus actus FIDEI, & AMORIS nec necessaria est REITERATIO talis actus.

Provocat ad Thomam Aquinatem qui Libr. 3. cap. 137. num. 2. & 3. dicat. Non sporteret quod qui propter DEUM aliquod iter arripuit, in qualibet parte itineris de DEO cogitet actu: Deinde addit exemplum aliquius, qui Romam velit proficisci. Talem quidem primo habere hanc Voluntatem expressam, VOLO ROMAM ABIRE; Quem actum tamen postea non per singulos itineris passus renovet; Hæc iterum Molinos;

Ex quibus rursus cernitur, quam nihil Extraordinaria pietatis & devotionis in hac tantopere jactata Theologia Mystica sit, sed quod mea VERBA & præstigia denuo ut miramur B. D.

Capitulum decimi sexti, frontem facit.

Modus, quomodo intrari potest in Recollectionem Interiorem, per Santissimam huminitatem Christi Salvatoris nostri.

Hic inquit, duo sunt modi Spiritualium ex toto contrarii. Quidam enim dicunt, quod Mysterium passionis & mortis Dominicæ semper sit meditandum. Alii in alterum extremum abeunt, & statuunt quod Meditatio vitæ passionis & mortis Salvatoris nostri, non pertineat ad statum Contemplativum, neque etiam sit idoneum objectum

ORA-

ORATIONIS Mysticæ, ut pote quæ tendat in Deum *CONTEMPLANDO* præcisè ejus *DIVINITATEM*, in qua etiam stet *QUIETUS* & silentium animæ.

His præmissis, inquit Molinos; certum esse, quod Christus Dominus sit porta & via nostra, prout ipse dicit, *Ego sum via, veritas & vita*: Et quod antequam anima idonea sit, adintrandum in *PRÆSENTIAM DIVINITATIS*, & ad se uniendam cum illa, opus sit ut lavetur precioso sanguine Christi, & adornetur divitiis Passionis Dominicæ.

Porro ait, Sanctum utique & Pium esse Meditando versari circa Humanitatem Christi, ejusque passionem, & optandum foret, ut omnes mundani id facerent: Verum si anima tendat ad ulteriorem perfectionem, per *RECOLLECTIONEM INTERNAM*, in qua nullus sit discursus, tum non necesse esse, ut semper ante oculos habeat Incarnationem & passionem Christi. Quemadmodum si Filio alicui dicatur ne unquam derelinquet Patrem, tum sensum non esse, ut semper fixis oculis respiciat Patrem, sed sufficere si eum teneat in memoria, & faciat iussa Patris.

Tandem in §. 126. mentem suam ita declarat. *Anima*, inquit, si intrare velit in *RECOLLECTIONEM* internam, Prosternat se ad portam misericordiæ Divinæ, quæ est Amabilis & suavis memoria Crucis & Passionis *VERBI*, quod ex Amore nostram induit Humanitatem, & ex eodem Amore mortem pro nobis subiit. Ita, inquit, anima cum humilitate jaceat ante portam *Misericordiæ*, resignet se in Voluntatem divinam; Provocat deinde ad locum Pauli, qui dicat, *Omne quodcumque facitis verbo aut Opere, hoc omne facite in nomine Domini nostri, gratias agentes DEO & Patri* per ipsum.

Hæc prout jacent, improbanda non essent: nisi alibi Molinosius traduceret, quod Christus non sit *OBJECTUM CONTEMPLATIONIS & FIDEI PURÆ*. Sed mirum non est, quod sibi in isto contrarius sit Molinos, nam si quis ejus librum exacte inspiciat, creberrimas inveniet tales contradictiones, prout etiam in *FENELONIO* observatum est ab ejus Censoribus.

Interim id serio optandum foret, ut Ecclesia Romana à Mysticis istis disceret cultum Religiosum soli DEO deferre, non Mariæ, non Sanctis demortuis, nec Reliquiis; quanta enim superstitione dicta Ecclesia in hoc foedata sit, quotidiana loquitur Praxis. Unde in ipso Papatu nuper liber prodiit, cui titulus.

LIBER

LIBER II.

Secundus Liber Molinosi maxime loquitur de Patre Spirituali sive Directore Conscientiae ubi dicit Molinos, quod ad vincendas astutias Diaboli nihil melius sit, quam se subjicere MAGISTRO alicui experto: quia Deus non velit facere cum omnibus, quod fecerit cum S. Catharina di Siena, quam Deus ipse manu apprehenderit, & per viam Mysticam duxerit.

Probat suam sententiam dictus Molinos per Exempla, in hoc secundo capite, quia Donna Maria de Escobar cum semel ægra Deum rogaret, an necessarium sit, ut Statum Animæ sue & quæ ipsi acciderint debeat Patri suo spirituali recensere; ne & seipsum defatiget, & Patri ipsi spirituali molestiam faciat: Ubi Deus responderit, utique Bonum esse si Patri suo spirituali rationem reddat Conscientię sue.

Sanctam item Theresiam de se ipsa referre, quod Deus ipsi præcepit, ut si Confessionarius aliquid dicat & præcipiat, & Deus aliam rem ante præcepisset, tum sequendum esse dictamen Confessionarii, non Dei.

Hæc sane sunt stulta & impia, ut perse patet. Confessionarium in rebus dubiis adeundum esse, concedimus; Præcepta autem ejus vel consilia plus æstimanda esse, quam Dei, id nemo, cui sanum Caput, dicet. Ut non dicamus, quod alibi statuat Molinos, *Contemplativum Opus* non habere ulla confessione, non saltem quia perfectus sit, sed etiam quia talis confessio turbet SOLITUDINEM ANIMÆ AMOROSÆ.

Tertium Caput plane impium est & detestabile, rejicit enim Zelum & Amorem pro proximo, & afferit, quod qui velit placere Deo, illius sit unice respicere Deum: Salvatorum nostrum hoc dicere Matth. 12. cum dicet: illa est mea Mater, meus Filius, & meus Frater, qui facit voluntatem Dei, Quasi vero hæc non sit, voluntas Dei, ut Proximi curam habeamus ejusque Necessitatibus succurramus.

In Capitis quarti primordio, eandem impietatem repetit. Postea vult, ut Prædicator, sive Minister verbi Divini prius per Ignem tentationis, tribulationis & purgationis passivæ transeat, quam prædicet: Ubi lumbentes agnoscamus, quod Ignis tentationis aptiores & puriores faciat Ministros, quod vero ante tentationem nemo possit esse Minister negamus.

In quinto Capite docet, quod is, qui velit Animas curare, debeat habere vocationem internam: Nec sufficere, si quis credat se esse

C

dota-

dotatum variis bonis qualitatibus ad Sanctum istud Ministerium Naturale judicium de seipso, id enim plerunque ex Secreta superbia, & ambitione Spirituali provenire.

Ista non male. Sed in Molinosio hæc superbia Spiritualis in primis deprehenditur; nam ille per totum pene librum secundum impense hoc agit, ut persuadeat Lectori, se unicum esse, qui sciat Animas in via Salutis recte informare, & discipulos suos. Contra vero certum est, quod si quis sequatur *ductum* Molinosi, quod necessario a vera VIA salutis abducatur. Vera enim VIA nullibi invenitur, quam in VERBO Dei Incarnato & revelato.

In nono Capite Molinos prolixus est, in explicandis qualitatibus & requisitis Boni alicujus directoris in via Spirituali. Ubi inter alia recentet, quod indicium sit mali directoris *Spiritualis*, si ægre ferat cum Anima devota etiam cum aliis doctoribus Spiritualibus magis piis & dictis communicet. Id enim argumento esse, quod talis Magister Spiritualis ipse met magna *ambitione* & *Amore proprio* laboret, atque adeo nihil ipse habeat de *via interiori*, & Resignatione. Id quod verissimum est.

In decimo capite inprimis commendat Obedientiam, ut nimirum Anima plane se cum omni obedientia subjiciat directori Spirituali: Hæc obedientia ut sit perfecta, ait, necessum est, ut sit *voluntaria pura, promta, hilaris, interior, COECA, & perseverans*. Voluntaria, hoc est sine vi & timore. *Pura* sine *interesse* seu commodo humano, sine amore proprio, & pure propter Deum. *Promta*, sine excusatione, & sine dilatione. *Hilaris*, hoc est, sine afflictione interna. *Cœca* sine *judicio proprio*, hoc est, ut sit *subjectio*, sine investigatione intentionis, vel finis, vel rationis, cur ita obediendum sit hic & nunc; *perseverans*, hoc est constans usque ad mortem.

Hæc obedientia, maxime ex ea parte, qua cœca est, nobis non placet. Nam Berrhoenes licet habuerint Paulum pro Duce & Doctorem Spirituali, tamen cœcam non adhibuere obedientiam, sed investigarunt, in Scripturis, an res ita se habeat prout Paulus docebat: Unde Deus ideo lucem in verbo suo accedit, ut non cœco modo ambulemus in via Salutis: Sed videntes. Et si cœcus, ut potissimi Doctores in Papatu sunt, cœcum ducat, tunc ambo cadunt in foveam, teste Salvatore nostro.

Quin

Quin & Molinosum crassa cœcitate laborasse, constat ex ficta historia, quam pro vera recenset. Dicit enim S. Theresiam videndo rigorosam poenitentiam Catharinæ de Cordona in diserto, eam voluisse contra sententiam & consilium Patris sui spiritualis imitari. Cui Deus responderit: *Hæc via non est pro Te secura. Magis mihi placet, tua o Theresia, obedientia, quam Catharina paenitentia.* Hic talpa & Theresia cœcior est, qui non videt, totam hanc Historiam mere esse fabulosam, & locutiones illas Theresiæ cum Deo, vel præstigias fuisse Diabolicas vel ex stolidâ atque impia superstitione confictas & factas ad decipiendum alios.

In capite undecimo repetit, quam necessaria sit *obedientia Cœca* & constans. Nam inquit, si deprehendes in Te horribiles & importunas suggestiones Diaboli hostis Tui gravissimi. Si patris tenebras, angustias, ariditatem, derelictionem: Cum videbis Te circumdatum temptationibus, ira, furore, rabie, blasphemia, luxuria, malédictione, desperatione; Tunc in primis oportet ut credas, & simplici obedientia Te submittas directori Tuo.

Bonum & pium Directorem Animæ, hoc est ministrum Ecclesiæ utique in iustis angustiis commendamus; Sed obedientia non debet esse Cœca, sed videndum est animæ per tentationes afflictæ, quid remedium Deus ipsi præscribat in verbo suo. Et illa remedia sunt, ardentes preces, jejunia, frequens usus Sacramenti. Doctorem hic habemus optimum Paulum, cui Deus in temptationibus dixit, *sufficiat Tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate robusta est.*

In duodecimo Capite eandem repetit materiam, ubi semper advertendum, quod per directorem spiritualem bonum & pium, neminem intelligat nisi seipsum, vel aliquem Principiis suis Quietisticis imbutum, reliquos enim omnes inidoneos censem.

In Cap. 13. tradit, quod ad acquirendam *perfectionem & Pacem Intériorum* efficax medium sit frequens usus Coenæ S. Vbi ait, multos seiplos privare precioso hoc cibo, quia putent se non esse condigne præparatos;

Sed, inquit, sufficienter es præparatus, si modo habeas sincerum desiderium, & bonum finem faciendi id quod Deo placeat: Nec obstat, si videoas Te esse defectuosum in vita, aridum in precibus, frigidum in Devotione; Hanc Coenam enim esse Medicinam ad hos morbos

bos tollendos. Sicut & grotus querit Medicum, & frigidus Ignem, ut se calefaciat.

In Cap. 14. pulchre dicit, de infinito beneficio, quod Anima Christiana habet, in perceptione hujus Sacramenti. Nam ait, in S. Coena Christus seipsum unit cum Anima, ut Anima sit in Christo, & Christus in Anima; ut Anima & Christus unum sint, quæ conjunctio sit tam admiranda, ut nihil maior concipi possit: Magnum Charitatis purissimæ opus fuisse, cum Filius Dei fieret homo. Major; cum ex eadem purissima charitate ignominiosissimam mortem in Cruce pertulerit. Summum esse; cum seipsum cuivis fidelis Animæ in S. Coena tradat; cum amplius non habeat quod dare possit, nec homo plus recipere. O exlamat, si penetraret ad ista summa amoris Divini Anima nostra: O si illa cognosceret.

Rectissime ista! Sed qui fit, quod Doctor & ductor iste animarum non dicat, quod Ecclesia Romana haud leve committat sacrilegium, quia non TOTUM sibi bundis animabus exhibit, quod Christus promisit in Coena, nempe Corpus & Sanguinem. Cur Sanguis pretiosissimus eripitur? Cur Molinosius animabus sibi concreditis non dicit, hanc esse Tyrannidem summam Pontificis Romani: Ecclesiam Romanam in Capite suo esse Sacrilegum? Cur hic timet homines, & non Deum? Aut si putat juste facere Romanorum Episcopum, cur tam cœcus est, ut grande scelus non advertat?

In decimo quinto & sexto Capite; Multa iterum dicit, quæ devotionem spirant & prout jacent contemnenda non sunt.

Sed in decimo septimo & octavo plane extra pietatis oleam abit, atque animas non ducit, sed seducit. Statuit enim quod homo in peccatum lapsus, non debeat se inquietare: Nam, inquit in S. 125. Si homo ob defectus & peccata sua se inquietat, commovet atque atterit, tum manifestum est signum SECRETÆ USPERBLIÆ. Nam pergit, si Deus etiam Sanctissimis suis permisit, ut laberentur in peccata; ut vide-licet cum humilitate agnoscant, quod quondiu subsistunt in hac defec-tuosa Natura, quæ nil nisi spinas, infelix lolium, atque alias malignas herbas producit; quid ergo opus est, ut tu Te multum affligas.

Quotiescunque ergo, pergit, defectum aliquem peccaminosum in te advertis, noli Te multum macerare & affligere; sed scito quod Deus

Deus per ineffabilem Sapientiam non solum ex virtutibus, sed etiam ex Vitiis scilicet facere in Cœlum; juxta illud Augustini, ascendamus etiam per vitia & passiones nostras in Cœlum. Ne faciamus ex Medicina venenum, & ex virtutibus vitia, dum per eas evadimus vanis.

Tandem concludit, si vis pervenire ad summum perfectionis gradum & ad INTERNAM PACEM, tum quoties cadis, toties cum profunda confidentia projice Te in sinum Misericordiae Bonitatis Divinæ. Ista humilis & amorosa conversatio, atque totalis confidentia in Misericordia Dei securum Te, ac tranquillum præstabit.

Hæc sane Theologia Molinosi plane nova est, & aduersa veritati Divinæ Scriptura enim S. docet, quod dolor de peccatis nostris, debet esse serius, cordis intima afficiens, imo disrumpens; quin teste Davide nullum sacrificium Deo grauius est, quam Cor per poenitentia dolores contritum & conquassatum. Ipsius Davidis Dolor de peccatis quam amatus fuit non solum in Psalmo 51. Sed & 38. Non ingemiscit tantum non suspirans tantum, sed ejulatibus quoque testatur magnitudinem doloris.

Optime Ambrocius in serm. *Quando sic penites, ut amarum sapiat in Anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod Te prius oblectabat in corpore, ipsum Te cruciat in corde, jam tunc bene ingemiscis ad DEUM.*

Et Augustinus in libr. de util. agend. poen. *In tribunal mentis Tua ascende contra Te, & reum Te constituito ante Te; noli Te ponere post Te. ne Deus Te ponat ante Te.*

In LIBRO TERTIO Molinosius, nihil in Substantia aliud dicit, quam in libro primo, unde opus non est, ut diutius illis immoremur. Interea ex dictis patet, quid de Tota Theologia Molinosi sit sentendum.

Nempe primo laudamus in eo quod hominem abducat a vano illo cultu & Religione, qui in Papatu Principalem locum tenet; Ut sunt Ceremoniae illæ immensæ, quibus misera anima premitur, quemadmodum olim in Ecclesia Judaica per traditiones pressæ, imo oppressæ fuere: Huc refero *Peregrinationes* in Papatu, preces ad globulos rosarii, jejunia die veneris & Sabbathi, sub obligatione & rigore majore, quam lex ipsa divina in Papatu inculcatur. Veneratio Reliquiarum, quæ plerunque fictæ sunt &c. &c.

Porro recte etiam Molinos animam abstrahit a superstitione & cultu illo, qua statuae & imagines B. Virginis Mariæ, & Sanctorum, &c. coluntur, simulque cum magna devotione in necessitatibus ceu Mediatores & Intercessores invocantur, ubi contra Molinos animam ad Deum ducit.

Sed taxamus in eo, primo quod hominem non dicit ad Deum, per manum Scripturæ S. sed per propria somnia. Secundo, quod statum PAS-SIVUM Silentii & QUIETIS pro fundamento totius Theologiae suæ ponit. Tertio, quod Theresiæ Mad. de Chantal & hujus furfuris sceminiplus credit, earumque hypotheses, & falsas illuminationes in majori pretio habeat, quam Christi & Apostolorum doctrinalia.

Quarto eam quoq; doctrinam prospuria habemus, dum tradit, quod nihil operando anima se annihilet, ad suum principium redeat, & ad suam originem, quæ sit essentia Deus, in qua transformata remaneat ac divinisata: & quod Deus tunc in se ipso remaneat, quia tunc non sint amplius duæ res unitæ, sed una tantum: & hac ratione vivere Deum & regnare in nobis, & animam seipsum annihilare in esse operativo. Hæc fanaticæ sunt & inter Icorias rejicienda.

Quinto etiam rejicimus dum dicit, quod illi, Qui divinæ voluntati resignatus est, non conveniat, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere sit imperfætio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & sit velle quod divina voluntas nostræ conformetur; & illud Evangelii: petite & accipietis, non esse dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; imo hujusmodi animas eo pervenire, ut non possint a Deo rem aliquam petere. Hæc sunt deliria Mystica.

Sexto etiam illud insanum est, dum dicit, quod Sicut non debet a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet, quia utrumque est actus propriæ voluntatis. Hæc adversa sunt præcepto Divino.

Quod indicat etiam David Ps. 50. v. 15. Invoca me in die tribulationis & ego Te exaudiam, & mihi gratias ages. Quin potissimum *Actus Beatorum* in *æternitate* erit, quod Angeli & Seniores in Genua, Apoc. 7. v. 12. & v. 17, procedentes Deo & AGNO Gratias agunt pro redémptione, ut proin dignus non sit *æterna Beatitudine* qui erga Deum ingratus est.

DAMNA.

DAMNATIO PONTIFICIS R. PROPOSITIONUM

M. de MOLINOS.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SER-
VORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMO-
RIAM.

Cœlestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mun-
dum , variisque gentium erroribus involutum , a potestate diaboli,
sub qua misere post lapsum primi nostri parentis tenebatur, sua inef-
fabili miseratione liberaret ; carnem sumere , & in ligno crucis chi-
rographo redemptionis nostræ affixo , in testimonium suæ in nos cha-
ritatis , fæse hostiam viventem DEO pro nobis offerre dignatus est.
Mox redditurus in cœlum Ecclesiam Catholicam , sponsam suam , tan-
quam novam civitatem sanctam Jerusalēm , descendenter de cœlo,
non habentem rugam neque maculam , unam sanctamque in terris
relinquens , armis suæ potentia contra portas inferni circumvallatam ,
Petro Apostolorum Principi , & successoribus ejus regendam tradi-
dit ; ut doctrinam ab ipsis ore haustam , sartam , tectamque custo-
diren, ne oves pretioso sanguine suo redemptæ pravarum opinionum
pabulo in antiquos errores reciderent ; quod præcipue Beato Petro
mandasse, nos sacræ litteræ docent. Cui enim Apostolorum , nisi Pe-
tro dixit : pasce oves meas ; & rursus : ego rogavi pro te , ut non
deficiat fides tua ; & tu aliquando conversus , confirma fratres tuos.
Quare nobis , qui non nostris meritis sed inscrutabili DEI omnipo-
tentis consilio in ejusdem Petri cathedra pari potestate sedemus, sem-
per fixum in animo fuit , ut populus Christianus eam sectaretur fidem ,
quæ a Christo Domino per Apostolos suos perpetua & nunquam in-
terrupta traditione prædicta fuit , quamque ipse usque ad consum-
mationem seculi permansuram esse promisit.

Cum igitur ad apostolatum nostrum relatum fuisset , quendem
Michaë-

Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo , tum scripto docuisse , & in praxin deduxisse , quæ prætextu orationis quietis contra doctrinam & usum a sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum , fideles a vera religione , & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores & turpissima quæque inducebant ; nos , cui cordi semper fuit , ut fidelium animæ , nobis ex alto commissæ , purgatis pravarum opinionum erroribus , ad optatum salutis portum tuto pervenire possint , legitimis præcedentibus indiciis , prædictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus , deinde coram nobis & venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus , in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus Apostolica authoritate specialiter deputatis , auditis pluribus in sacra Theologia Magistris , eorumque suffragiis , tum voce , tum scripto susceptis , matureque perpensis , implorata etiam Sancti Spiritus assistentia , cum prædictorum fratribus nostrorum unanimi voto , ad damnationem infra scriptarum propositionum ejusdem Michaelis de Molinos , a quo fuerant pro suis recognitæ , & de quibus propositionibus tanguam a se dictatis , scriptis , communicatis , & creditis ipse convictus , & respective confessus fuerat , ut latius in processu , & decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti anni presentis 1687. devenire , ut infra : decrevimus .

1. Oportet hominem suas potentias annihilare ; & hæc est via interna .
2. Velle operari active est DEUM ostendere , qui vult esse ipse agens ; & ideo opus est seipsum in Deo totum ; & totaliter dereliqueret , & postea permanere velut corpus exanime .
3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impedimenta .
4. Activitas naturalis est gratiæ inimica , impeditque Dei operationes , & veram perfectionem ; quia Deus vult operari in nobis sine nobis .
5. Nihil operando anima se annihilat , & ad suum principium reddit , & ad suam originem , quæ est essentia Dei , in qua transformata remanet ac divinisata : & Deus tunc in seipso remanet , quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ , sed una tantum : & hac ratione vivit DEUS & regnat in nobis , & anima seipsam annihilat inesse operativo .

6. Via

6. Via interna est illa , in qua non cognoscitur nec lumen , nec Amor , nec resignatio , & non oportet Deum cognoscere ; & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare , nec de præmio , nec de punitione , nec de Paradiso , nec de inferno , nec de morte , nec de æternitate .

8. Non debet velle scire , an gradiatur cum voluntate Dei , an cum eadē voluntate resignata maneat , nec ne ; nec opus est ut velit cognoscere suum statum , nec proprium nihil , sed debet ut corpus exanime manere .

9. Non debet anima reminisci , nec sui nec Dei , nec cujuscunque rei , & in via materna omnis reflexio est nociva , etiam reflexio ad suas humanas actiones , & ad proprios defectus .

10. Si propriis defectibus alios scandalizet , non est necessarium reflectere , dummodo non adūt voluntas scandalizandi : & ad proprios defectus non posse reflectere , gratia Dei est .

11. Ad dubia , quæ occurruunt , an recte procedatur , necne , non opus est reflectere .

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit , de nulla re debet curam habere , nec de inferno , nec de paradise : nec debet desiderium habere propriæ perfectionis , nec virtutum , nec propriæ sanctitatis , nec propriæ salutis , cuius spem purgare debet .

13. Resignatio Deo libero arbitrio , eidem Deo relinquenda est cogitatio , & cura de omni re nostra ; & relinquere , ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem .

14. Qui divinæ voluntati resignatus est , non convenit , ut à Deo rem aliquam petat , quia petere est imperfectio , cum sit actus propriæ voluntatis , & electionis : & est velle , quod divina voluntas nostræ conformatur ; & illud Evangelii ; petite & accipietis ; non est dictum à Christo pro animabus internis , quæ nolunt habere voluntatem ; imo hujusmodi animæ eo pervenient , ut non possint a Deo rem aliquam petere .

15. Sicut non debet à Deo rem aliquam petere , ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet , quia utrumque est actus propriæ voluntatis .

16. Non convenit indulgentias querere pro pœna propriis peccatis debita , quia melius est divinæ justitiae satisfacere , quam divinam misericordiam querere ; quoniam illud ex puro Dei amore procedit , & istud ab amore nostri intercessato , nec est res Deo grata , nec meritoria , quia est velle crucem fugere .

D

17. Tra-

17. Traditio Deo libero arbitrio , & eidem relicta cura & cognitione animæ nostræ , non est amplius habenda ratio tentationum , nec eis resistentia fieri debet , nisi negativa , nulla adhibita industria , & si natura commovetur , oportet sinere , quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus , figuris , speciebus , & propriis conceptibus , non adorat Deum in spiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo , quo ratio argumentatur , aut intellectus comprehendit , non amat verum Deum.

20. Afferere , quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre , & per cogitationes , quando Deus animam non alloquitur , ignorantia est : -Deus nunquam loquitur , ejus locutio est operatio , & semper in anima operator , quando hæc suis discursibus , cogitationibus , & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura & universali , cum quiete & oblivious cuiuscunque cogitationis particularis ac distinctionis attributorum Dei ac Trinitatis ; & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum , & amandum , eique inserviendum , quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus à creatura tradita , quam creatura se habere non cognoscit , nec postea cognoscit illam se habuisse ; & idem dicitur de amore.

23. Mystici cum sancto Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus ; lectionem , meditationem , orationem & contemplationem infusam . Quis semper in 1. persistit , nunquam ad 2. pertransit : qui semper in 2. persistit , nunquam ad 3. pervenit , quæ est nostra contemplatio acquista , in qua per totam vitam persistentum est dummodo Deus animam non trahat , (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam : & hac cessante , anima regredi debet ad 3. gradum , & in ipso permanere , absque eo , quod amplius redeat ad secundum aut primum .

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant , etiam impuræ , etiam contra Deum , Sanctos , fidem , & Sacra menta si voluntarie non nutriantur , sed cum indifferentia & resignatione tolerentur , non impediunt orationem fidei ; immo eam perfectiorem efficiunt , quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet .

25. Etiamsi

25. Etiamsi superveniat somnus & dormiatur, nihilominus sit oratio & contemplatio actualis, quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica, cum non sit, nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec querit Deum, sed seipsum; & male agit, cum eam desiderat & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solennibus.

28. Tædium donorum spiritualium bonum est, siquidem purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum & immundum.

31. Nullus meditatus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci, opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post communionem, alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro ipsis animabus internis, quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & sunt in via ordinaria: & si hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse in impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si ia diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis & lingua Deo gratias agere, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem dominicam seu *Pater noster* recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciant ope-

rationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate, alias non essent mortuae : nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, sanctos aut humanitatem Christi; quia cum ista sensibilia sunt objecta, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare & possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore & resignatione remanere.

38. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera & poenitentiae, quas peregerunt sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhesionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen sicut sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque ore exteriori.

41. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat eorum corporibus easque actus carnales committere faciat etiam in vigilia : & sine mentis obfuscatione, movendo physice illis manus & alia membra contra earum voluntatem ; & idem dicitur quoad illos actus per se peccaminosos, in quo sunt peccata, quia in his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quo hujusmodi violentia ad actus carnales contingat eodem tempore, ex parte duarum personarum, scilicet matris & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis temporibus sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipso magis despiciant, annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labii suis; quia sicut ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit, non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum hoc facio.

46. Hu-

46. Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via, & haec est via facilior & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiae occurrent, sinere oportet, ut Satanus operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium contum, sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiam sequuntur pollutiones & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emitendi sunt scrupuli, dubia & timores, quia anima sit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas: & præ omnibus non opus est haec confiteri, & sanctissime sit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanus, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius pregrediatur: unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces: sic interpretando locum ex c. Job. 16.

50. David, Jeremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium init cum alienigena, & cum Delila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent: de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit; de Elizæo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussum duces cum turmis regis Achab: an vero fuerit violentia immediate a Deo peracta: vel ministerio dæmonum, ut aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiae etiam impuræ absque mentis offuscatione accident, tunc anima Deo potest uniri, ut de facto semper unitur.

Hæ sunt illæ propositiones, quæ a CURIA Romana sunt damnatae, de quibus etiam apud Nostros non est uniforme JUDICIOUM.

B. D. SPENERI Judicium. De Quietismo Molinosii.

DE Molinosio hæc mea, ait, spenerus sententia est, quam non facile patior mihi extorqueri; fuisse scilicet in Molinosio, & PIETATEM sinceram, & Theologæ MYSTICÆ notitiam insignem. Inde est, quod Pientissimi quique in Italia semper optimo Viro familiariter usi sunt, & præclaras illius dotes in magno pretio habuerint. Neque adduci possum, ut credam, errores, quorum ille REUS esse dicitur, cum fundamento illi imputari, quandoquidem *In sua Theologia Mystica* in hoc unico singularis est, quod statuit, eum, qui semel ad summum contemplationis gradum devenit, nullo tempore ad meditationem regredi oportere. Fidem quidem haud dubiam fecit mihi Celeberrimus quidam Anglus, totam illam causam profluxisse a Cardinale Estre, cui eo minor propterea fides debetur, quo plus affectibus ac præjudicio eum in hoc negotio dedisse constat. Rogandus itaque Deus est, ut ipse Molinosi causam agere, eumque ad felicem & exoptatum eventum perducere digneatur.

Judicium nostrum.

Quanquam judicium B. D. speneri haud exiguo loco semper habuerimus. Tamen pace Beatorum Cinerum ipsius, cum ipso consentire in omnibus non possumus. Quod nemo mihi vitio vertet, semper enim illud animæ obversari debet, quod VERITAS ante omnia sit astimanda, maxime in materia, ubi fides divina est querenda, que sane semper præcipuum debet esse Theologi objectum. Ut non dicam, quod hic ipse Molinos mihi per tres menses Romæ viventi, fuerit familiariter notus, etiam quoad DOCTRINALIA.

Primo itaque assensum a nobis non imperat illa assertio, quod Molinos Pietatem sinceram habuerit. Nam pietatis veræ ac sinceræ unicus FONS est vera FIDES dicente Apostolo, quicquid non est ex fide, pec-

peccatum esse. Cui divina assertioni Augustinus pleraque sua contra Pelagium disputans super ædificavit, quem secutus est discipulus non degener, Prosper Aquitanicus dicens :

*Omne etenim pietatis opus, sine semine vera
Exoriens fidei nullum est, inque reatum
Vertitur.*

Secundo idem Molinosius nimis tenuiter ob subtilitatem, ut putar, mysticam de Humanitate Christi loquitur. Atqui sine Humanitate Christi nullam salutem habemus. Tam enim pertinet ad nostram salutem, quod Christus pro nobis passus & mortuus est, quam quod Filii Dei titulum & dignitatem gerit.

Nequeratio D. Speneri nobis sufficit, quod nempe familiaritatem habuerit magnam, cum viris piissimis (id enim argumentum eo minus est apodicticum, quod etiam usus est magna familiaritate cum Hispano Jesuita Martino Esparza, de Arti eda. Quem Virum doctum & civiliter Bonum fuisse, ipse ex conversatione ejus habui. Quod vero PIUS sincere fuerit, id credere non possumus, cum fuerit magnus defensor Authoritatis summae Pontificiae. At vero stare id non posse, cum vera & sincera FIDE mihi est manifestissimum. Nam FIDES vera unice Christo inititur, unice ipsum habet pro CAPITE, unice ILLUM pro INFALLIBILI principio habet.

Neque juvat excipere, quod Cardinal. Petruccium pro amico & familiaribus habuerit. Quanquam enim multa in Petruccio æstimem, in primis illos versiculos, quos in fronte Libri sui habet.

*Nil sum, nil possum, scio nil, & crimina præter
Nil habeo, & præter Tatarata nil mereor;*

Tamen etiam illud certum est, quod Petruccius multos habeat capitales nævos, ex virtute hypothesis Curiae Romanae.

Tertio id pro immoto principio habeo, quod si intellectus imbutus est falsa opinione, non maxime in REBUS FIDEI, possit esse tam fana voluntas & verissimum est dictum Augustini:

In æternum stultitiae poena est luenda, si quem in rebus fidei, falsa opinio decepserit.

Quarto

Quarto nobis displicet illa *Indifferentia*, quam vocant *Sacrificium Spirituale*. Quamvis enim nihil *Sanctius* videatur, quam semetipsum in **VICTIMAM & SACRIFICIUM DEO Creatori & Redemtori suo exhibere**, juxta illud mysticorum Optimi Pauli monitum, Rom. 12. v. 1. Ut tamen ipsam **BEATITUDINEM ÆTERNAM pro Re INDIFERENTE habeamus**, id afferere Christiano homine indignum est. Indignus est, ut fruatur DEO in æternitate, cui *Indifferens* est, an fruatur DEO in tempore, nec ne.

Quinto *Orationem Passivam* pro mero Fanatismo mystico habemus. Non orat, qui non attollit mentem ad DEUM.

Sanctissimus Salvator noster, de hac **ORATIONE PASSIVA** nihil præcepit, & **ORANS** pro nostra Salute, **ORATIONEM Passivam** in Silentio & **QUIETE** non adhibuit, sed teste Paulo Hebr. 5. v. 7. cum lacrymis & magno clamore oravit.

Sexto stante **Quietismo Molinosi**, nec *fides*, nec *Spes* amplius locum habebit, imo nec *Charitas*. Filia enim *fidei* est *Charitas*.

Sane *FIDES* vera & *Salvifica* non *Quiescit*, Sed ad Se omni nisi trahit **MERITUM Christi**; & in illo suum robur quærerit. *SPES* vero tam necessaria est homini Christiano, ut sine ea nihil sit infelicius.

CHARITATEM aut fingere **QUIESCENTEM**, est indolem ejus tollere, quam vide descriptam apud Paulum 1. Cor. 13. v. 9. 7. 8.

Ut itaque **DEUS Causam Molinosi** hoc est ejus Doctrinalia tueatur vix adduci possum, ut rogem, sed ut **DEUS VERITATEM & PIETATEM**, imo **ECCLESIAM** suam ab omnibus **FALSIS OPI-
NIONIBUS** præservare velit, hoc est, quod calidis ex oro votis. Hæc citra præjudicium & sine acerbitate de B. Domino Spenero dicta sunt; Atque utinam omnes cum hac **MODERATIONE** causam fidei, & socios in religione tractaremus. Sed video nullibi odia esse crudiora, quam apud illos, qui de nulla re magis, quam de **MODERA-
TIONE & amore** loquuntur: nullibi magis infernalia sunt **ODIA**; quia irreconciliabilia. Adeo jam **HYPOCRISIS** pestis illa vere

PIETATIS mundum, etiam qui **PIUS** videri
vult, invasit.



155 186



56

AB.155.186

9/16/186



EXAMEN
QUIETISMO^{SIVE}
QUIETIS MYSTICÆ

Quod

Benedicente Supremo Nūmine

PRAESIDE

DN. JOH. WOLFG. JÆGER, SS. TH. D.

Cancellario Eccles. Tubing. Præposito, Abbate
 Adelberg. & General-Superintend.

Suscepere

M. JACOBUS BURCKHARDUS KNÖBEL, Böbl.

M. JOH. CHRISTOPHORUS SCHÜZ, Nürting.
 S. S. Theol. Stud. & Sereniss. Stip.

Adjectum est

B. Dn. D. Speneri Judicium.

Ad diem Febr. MDCC XV.

TUBINGÆ,
 Literis JOSEPHI SIGMUNDI,

